

251

249

255

245

260

240

300

200

350

150

Ende

Anfang

240

nymus, quia cum eo socius erat in expugnatione haeresis Origenis, ut patet per Hieronymum in epistola ad Pammachium contra Johannem episcopum Jerosolymitanum, ex quo etiam patet, quod episcopatus Famagustanus antiquitus fuit Salaminae et demum Famagustam translatus.

Tertius Cypri episcopatus est Paphum, omnium civitatum insulae antiquior, sicut patet supra Fol. 139. Hanc civitatem non solum celebrem reddunt carmina poetica, sed facta apostolica. Nam sanctus Paulus et Barnabas ibi praedicaverunt. Ibi S. Hilarius abbas habitavit et S. Manna, quem Graeci contra pestilentiam invocant, eumque fidem advocationem sentiunt. Quanta autem haec civitas fuerit et quam solemnes ecclesiae ibi steterint, ruinarum immensitas et prostatae marmoreae insignes columnae demonstrant. Haec jam est desolata, nec est civitas, sed paupercula villa ruinis superaedificata, propter quod et portus ipse desolatus est, in quem naves non ingrediuntur nisi cogente necessitate, sicut contigit nobis. Haec civitas prostrata per terrae motum, sive prostrata manet, cui nec rex nec episcopus manum porrigit, ut erigatur.

Quartus episcopatus est in Nimona, in littore maris, ubi etiam per aliquot dies degui in navium exspectatione. Est enim Nimona urbs destructa, portum maris bonum habens, qui respicit contra Tyrum et Sidonem, et ab eo vento secundo afflante potest navigari, in una die et nocte in meliores mundi portus pro negotiationibus, scilicet in Armeniam, in Ciliciam, in Laodiceam, Seleuciam, Antiochiam, in Syriam, Palaestinam, et Aegyptum in Alexandriam, in Berytum, Tripolim, Ptolemaidem, Caesaream, Tyrum, Sidonem, Joppen, Ascalonem et in caeteros portus orientales. Fuit autem Nimona urbs magna, sicut ruinae ostendunt, ad quam capta per Saladinum Hierosolyma transmigraverunt Templarii, Johannitae et fratres ordinis Teutonicorum, eamque possidentes muris et turribus muniverunt et praecipue portum, in quem arcem fortissimam erexerunt a maris profundo partim consurgentem. Ecclesias etiam ab intra latinas aedificaverunt et conventus fecerunt, quorum omnium adhuc exstant ruinae; nihil autem remansit, nisi una ecclesia misera sine campanis et cum vilissimis paramentis, in qua signa ad officia faciunt cum lignis. Adhuc quidam clerici ibi degunt latini, cum parva aedificatione, sicut patebit in sequentibus.

